





11
Bra. 13. num. 30.

1724, 11.

DE
EXCEPTIONE
LITIS INGRESSUM
IMPEDIENTE

QUÆDAM DISSERIT,

AC SIMUL

COLLEGIA SUA,

Semestri hoc hyberno habenda,

INTIMAT

ABRAHAM KÆSTNER,

U. J. D. & Fr. Lipf.

L I P S I Æ,

Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.



DE
EXCEPTIONE
LITIS INGRESSUM
IMPEDIENTE

QUADAM DISSERTATIONE
ACADEMICA

COLLEGII SUAE


SCIENTIARUM HUMANARUM


INSTITUTI

ABRAHAM KESTNER

U. D. & R. I. I. I. I.

THEOPHILUS RICHTER





Materias quotidianas, quæ dignitate nobiliores, cognitione utiliores, utilitate ponderosiores, usu denique & praxi frequentiores sunt, pertractari expedit l. 25. ff. de lib. leg: in res namque minus nobiles ac inutiles, aut denique a temporum nostrorum usu remotas, multum conferre studii, hominum eorum, qui otio abundant, quique non tam prodesse, quam videri volunt, proprium est, cum officio vero fidelis Doctoris, meo quidem iudicio, non convenit.

Quam ob causam, ne etiam oleum & operam perdidisse videar, in præsentiarum, uti in prioribus tribus Programmatibus feci, materiam Practicam, de cuius maximo usu nemo, qui Praxin forensam per transennam quasi cognitam sibi reddidit, dubitabit, in gratiam Auditorum meorum pertractabo. De Exceptione litis ingressum impediente varia quidem hinc inde apud Dd. inveniuntur, cum tamen in omnibus non conveniant, ac præterea a plerisque obiter quasi tractata videantur, hujus indolem ac naturam, quantum chartæ angustia permittit, proponere visum fuit. *Litis ingressum impediens exceptionem voco, omnem peremptoriam, quæ opponitur & probatur in continenti ante litem contestatam.* Equidem dilatoriæ etiam exceptiones, ante litis contestationem liquidæ, opponi possunt, quoniam tamen hæc saltem ad tempus impediunt litis ingressum, v. g. si exceptio iudicis incompetentis, primæ instantiæ, litis pendenti, &c. opponatur, confer. Zanger de Except. cap. 22. part. 2. n. 14. seq. illæ vero, de quibus dicturus sum, in totum Reum conventum liberant, hinc etiam in specie de illis in præsentiarum tantum agam. Formant Dd. alias regulam: *Ante litis contestationem Reum absolvi non posse.* Quæ tamen regula, quando asserimus, Reum, opposita & probata nostra



exceptione, omnino absolvendum esse, nobis non obstat, quippe cum
 regula hac intelligatur de exceptione peremptoria opposita ante li-
 tem contestatam, nec tamen in continenti liquida. v. *COLER. ad cap.*
cum venerabilis X. de except. n. 43. Ejusmodi enim exceptio omni-
 no non ante, sed post litem contestatam opponenda venit; Si vero
 Reus exceptiones tales habeat peremptorias, quæ antelitem contesta-
 tam in continenti probari possunt, nulla facta litis contestatione, sed
 hac tuto ommissa, a lite intentata liberationem sperare & expectare pote-
 rit. Actor enim ante litem contestatam non tam agere, quam agere vel-
 le dicitur. Ex dictis igitur, quænam proprie nobis sit exceptio litis in-
 gressum impediens, & quando illa in foro proponenda, clare, ut opinor,
 apparet; Cum vero simul etiam dictum, eam in continenti liquidam
 esse debere, hinc de probatione hujus potissimum nunc sollicitus ero.
 Quando asseritur, probationem nostræ exceptionis in continenti liqui-
 dam requiri, paucis sciendum, quid per *IN CONTINENTI* intelliga-
 tur. Variis autem modis in jure nostro hoc accipitur; 1) enim su-
 mitur *LATE*, pro aliquo temporis spatio, ut in *l. 1. §. 8. ff. ad L. Fal-*
sid. l. 23. §. 4. in fin. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 57. ff. de procurat.
 2) pro triduo *l. f. C. de judic. l. f. C. de Errore Adv.* 3) pro decennio,
l. 21. §. 1. ff. de const. pecun. 4) pro uno mense v. *STRAUCH in Lexico*
suo particularum Juris p. m. 97. n. 4. 5) pro trium aut ad minimum
 duorum mensium spatio. v. *l. 45. §. 10. ff. de Jure Fisci.* 6) pro qua-
 tuor mensium dilatione, v. *l. 2. C. de usur. rei judic.* 7) pro termino
 Saxonico, v. *COLER de Proceff. Execut. p. 4. c. 2. n. 10. seq.* Sic in foro
 nostro Saxonico, probatio *in continenti* etiam dicitur, quæ sit plene
 & integre intra terminum executioni præfixum v. *CZOV. LIB. 2. Resp. 6.*
n. 20. j. Ordin. Torg. d. a. 1583. Tit. von Wucherl. Contracten §. da
aber ic. in verbis: binnen der Zeit, da ihme die Hülffe angefündiget,
und dieselbe würectlich ergeben soll, und also NB. in continenti 8) in-
terdum pro spatio 6. mensium, imo pro re nata, nonnullorum anno-
rum, late sumitur, de quo significato vid. STRUV. Autodicen th. 10.
j. RICHTER in Tract. de significatione Adverbiorum p. 386. STRICTE
 autem accipitur pro exclusione intervalli, v. *l. 3. §. 9. ii. l. 17. ff. de vi & vi*
arm; & idem est, ac statim, confestim, protinus, illico, continuo, e-
 vestigio, stante pede, extemplo, nulla interposita mora, ad pun-
 ctum &c. Germ. ohne Verzug, stracks, gleich, bald, von Stunden, für-
 der

derlichst, ungefümt, auf freischer Lbat, stehendes Fusses etc. Ex hisce judicatu non est difficile, omnino inquirendum esse, quomodo *to in continenti* in exceptionis nostræ probatione accipiendum sit. Ut vero eo melius hoc intelligatur, præmittendum, quod probatio exceptionis a Reo opposita, iisdem modis, quibus actor libellum a se propositum probare intendit, peragatur. Sc. Reus vel jurejurando, vel testibus, vel documentis exceptionem oppositam probare satagit. Num vero omnes hi recensiti modi ad probationem exceptionis, litis ingressum impediens, adhiberi possint, specificè nunc videbimus. Quod ad jusjurandum pertinet, Reo quidem hoc modo uti permittitur in probatione exceptionum peremptoriarum, & omnino pro lubitu Actori illud deferre licet, ut hinc inde idem videatur, si peremptoriam exceptionem, tanquam litis ingressum impediens, probare velit, cum hoc casu quam maxime lis perimatur, quando Reus ante litis contestationem liberatur: Quicquid tamen sit, cum ad jurisjurandi præstationem tractus temporis requiratur *a. l. 12 §. 1. C. de reb. cred. & jurej. v. MAGNIFIC. DN. LÜDER MENCKE F. J. Lips. Ordinarius dissert. Proc. VII. ib. 2.* hincque hic probandi modus *in continenti* talis dici non possit, in ea sum opinione, jurisjurandi delationem in probatione nostræ exceptionis non esse permissam. Quod tali casu illustro: Sempronius petit a Cajo 100. ex mutuo; Cajo opponit in Termino exceptionem solutionis, tanquam litis ingressum impediens, ac desuper Actori defert jusjurandum, quæritur, an sit audiendus? Resp. ex antea adductis, negando. Ab hac ad illam, quæ per testes fit, probationem progredior, ubi iterum, num exceptio nostra testibus probari possit, quæritur? Circa hanc vero quæstionem, dissensum Doctorum deprehendimus; Sunt enim, qui hunc probandi modum admittunt, hac generali ratione moti: quia, quam probatio in continenti liquida sit, judicis arbitrio committendum *a. l. 1. §. ff. de jure deliber. confer. NICOL. PROC. part. 1. cap. 31. n. 7.* ergo pro arbitrio suo judicem probationem, quæ sit per testes, in casu nostro admittere posse concludunt; Id quod defendi posse videtur, quoniam in exercendis litibus, eandem vim & auctoritatem obtinent testes, quam habent instrumenta *v. l. 15. C. de fide instrum. ibique Brun.* Cum igitur spatium hoc temporis in jure nullibi definitum reperitur, hinc non adeo strictè accipiendum, sed pro quodam medio inter probatio-



nem paratam & indigentem indagine. *Carpz. c. l. n. 19.* Quodnam vero illud medium sit, pro ratione causæ & rei arbitratui boni viri vel iudicis maximo opere relinquendum. Hinc probationem per testes etiam admittit *U M M I U S disput. Proc. IIX. lb. 9. n. 57.* Cum tamen productio & examen testium maximum temporis tractum desideret, indoles vero ac natura probationis exceptionis nostræ ejusmodi dilationem non permittat, quia in continenti in propria sua significatione importat tempus præsens & sine aliquo intervallo. v. *J A S. in l. 1. n. 20. ibique citat. Dd. si cert. petat.* ita, ut exceptio dicatur in continenti probari, quando sine aliquo termino in promptu probatur. v. *FELIN. in cap. veniens 38. X. de testib. n. 15.* hinc rectius probatio per testes hic non admittitur, in quam sententiam etiam itum fuit à *Fac. Jur. Lips. Mens. Jun. 1701. v. MAGNIFIC. MENCKE c. l. lb. 15. in fine.*; quod etiam in specie cautum in *O. P. S. tit. XI. §. 7.* ibi: es wären denn dergleichen Exceptiones, litis ingressum impediendes, welche NB. ohne fernere Ausföhrung alsbald in continenti &c. & in der *Erläuterung §. 1.* additur: diese exceptiones auch allerseits vor der litis contestation nicht, als in so ferne sie in continenti liquida sind, attendiret, und deswegen weder NB. auf Beweis noch auf die Cydes delation interloquiret werden. Ex quibus nunc sponte sua fluit, probationem nostræ exceptionis fieri tantummodo posse instrumentis. (De confessione enim quædam adducere supersedemus, quia illam nemo inficias ibit.) Instrumenta vero cum sint vel publica vel privata, hinc etiam hæc distinctio hic notanda venit. Scil. Reus conventus 500. solvere debet, hic in termino exceptionem solutionis, tanquam litis ingressum impediendem, opponit, illamque in continenti apocha Actoris probat; Queritur, an Actor apocham loco probationis productam, diffiteri queat? Quod negandum non videtur, quia regulariter expressa recognitio sub se comprehendit tacitam diffessionem. *O. P. S. tit. 25. §. weil es auch. SVENDEND. ad FIBIG p. 730.* id quod etiam extendendum ad eum casum, quando sententia concepta est de sola recognitione, cui sc. nihilominus diffessio tacita inest. *SVENDEND. c. l. p. 1135. MEV. p. 4. Dec. 147.* Quid vero dicendum, si in casu prædicto Reus diffessionem apocha vel alterius instrumenti, per recognitionem testium declinare velit, an audiendus erit? Videtur, quod sic; Quia regulariter diffessionem documentorum hoc modo declinare licet. *O. P. S. Tit. 25. §. fin. it. die erlett*

leuterte PROCES-**Ordnung** c. l. §. 5. etiam si per sententiam recognitionis aut jurata diffessio fuerit inuncta, ut evitetur perjurium. BERL. p. 1. concl. 44. n. 49. STRYCK. Introd. ad Prax. for. cap. 19. §. 10. Rectius tamen hoc intelligendum est positis terminis habilibus, scil. si perventum fuerit ad Probationem & Reprobationem; Cum vero exceptionis nostrae probatio in continenti fieri debeat, & certo certius constet, recognitionem per testes maximum temporis tractum requirere, merito negativa sententia placuit *SENATUI APPELLAT. DRESD. Term. Martini 1677. v. B. DN. RIVINUS ad O. P. S. Tit. XI. Em. 57.* Omnium igitur optime exceptio, litis ingressum impediens, probatur per Acta Originalia, quibus de loquitur *O. P. S. Tit. XI. §. 7.* verbis: aus producirten Original-Acten und Urfunden, conf. *DN. D. BARTH in Hodeg. for. p. m. 25. lit. d. ubi formulam proponendi hanc exceptionem perhibet.* Sive per alia Instrumenta & Documenta publica, quae diffessione non subjacent. Sic cum anno proxime praterlapso coram Pratorio Lipf. M. G. contra R. E. Curandam meam institueret actionem, & ex hereditate fratris sui uterini adhuc 400. thl. peteret, ego vero in continenti exceptionem transactionis juramento confirmatae tanquam litis ingressum impediendam opponerem, illamque per Documenta judicialia probarem, litis contestationem, fretus Ordin. Proc. c. 1. omittebam, & loco hujus documentorum recognitionem postulabam, qua non facta, subsecuta contumaciae accusatione pronuntiabat Inclytus Scabinatus Lipsiensis Mens. April. ann. curr. P. P. Würde Kläger die Documenta sub A. und B. fol. 32. seqq. wenn solche mit dem Originali bestärket worden, recognosciren, immassen ihm sub poena recogniti obliegt, so ist Beklagter von der erhobenen Klage zu entbinden und loßzusprechen, es ist auch jener, diesem die durch diesen Proceß verursachten Unkosten, davon die liquidierten Extrajudiciales fol. 64. auf 3. Thl. zu mäßigen, zu erstatten schuldig: Quae sententia non obstante, ab Actrice interposita leuteratione, ab *Illustri Facultate Jurid. Lips.* Mense Jul. hujus anni, confirmata fuit. Plura quidem adhuc de hac utilissima ac in foro frequentissima materia adduci potuissent; Quia tamen nunc ad id, cujus rei gratia praepri- mis haec conscribere placuit, properandum, reliqua alii forsitan occasione relinquantur. Paucis jam ea Collegia, quae sequenti semestri hybernico sum habiturus, illis, quorum hoc scire interest, indicabo:

1) Ela-

I) *ELABORATORIO - PRACTICUM* inchoabo, in quo singula
 membra, varia scripta, quæ natura Processus, pro re nata, exi-
 git, v. g. Libellos, citationes, mandata, supplicationes, Leuten-
 tiones, Appellationes, Interventiones, ut & positiones juridi-
 cas, das Rechtliche Verfahren etc. proprio Marte conficiunt, quæ
 omnia debita industria revidere, & eum, qui in iudiciis obtinet,
 ordinem, accurate observare soleo. Hora VIII. ad IX.

II) *COLLEGIUM* in Celeberr. *GEORGII ADAMI STRUWII*
 Jurisprudentiam Romano-Germanicam forensi, exordiar.
 Hora IX. ad X.

III) *INSTITUTIONALE* in ipsum Institutionum Imperialium te-
 xum, semper tamen adhibita Magnifici Domini Nostri Men-
 ckenii Synopsi Institutionum, melioris explicationis ergo, inci-
 piam, hora X. ad XI.

IV) *PANDECTARUM COLLEGIUM*, in Schœpfferi Synopsin
 Juris privati, in quo hætenus priores XI. libros absolvimus, sum
 continuaturus, hora II. ad III.

V) *PRAEPARATORIO - PRACTICUM*, in quo, quæ circa futu-
 ram elaborationem omnino sunt notanda, ex Actis judicialibus
 ac probatissimis Auctoribus Practicis fideliter proponuntur, ut
 eo felicius ipsa elaboratio deinceps suscipi possit, diebus 3 & 4
 hora VIII. ad IX. juxta *PRAECEPTA PROPRIA* praelegam.

VI) *DISPUTATORIO EXERCITIO & REPETITIONI* eorum,
 quæ antea pertractata & absoluta fuere, vacabo, diebus 5 & 6
 hora III. ad IV.

Singula hæc collegia, instantibus nundinis solennibus finitis, fu-
 turo die 16. Octobris, initium sument, ac Summo auxiliante Numine,
 utpote in cuius gloriam omnis labor noster tendat, per instans seme-
 stre hybernium solis Pandectis exceptis, ad finem perduci debent.

Dabam Lipsiæ e Museo Domin. XIX. post. Trin. A. R. N.
 1714

1714





Leipzig, Diss., 1724
X 230.9475

WIP

ULB Halle

007 694 725

3





Pra. 13. num. 30.

1724, 11

DE
EXCEPTIONE
LITIS INGRESSUM
IMPEDIENTE

QUÆDAM DISSERIT,

AC SIMUL

COLLEGIA SUA,

Semestri hoc hyberno habenda,



INTIMAT

ABRAHAM KÆSTNER,

U. J. D. & Pr. Lipf.

L I P S I Æ,

Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.



9.473.

